

## CONCILIUM PROVIN. COLONIEN.

**Q**ui sacerdotia ecclesiastica pleno (vt aiunt) iure, potestatem conferendi habent, alium, factæ a se manuum impositionis, discussorem non expectant. Præcipua ergo illis habenda cura est, idque maxime in præficiendis parochis, ne apostolici præcepti præuaricatores ac rei fiant. Quis enim non intelligit, quam graui culpa se obstringit is, qui in causa est, vt cæcus cæco ducatum præstet: nimirum ambobus in foueam delabentibus.

*Matth. 15*  
*Luc. 16*  
*Malach. 1*

Despiciunt (inquit Malachias propheta) nomen domini, qui cæcū, qui claudum, qui languidum animal, ad immolandum offerunt, & propterea grauiter a domino increpantur: Quis vero cæcum animal offert, nisi qui indoctū in doctū locum ordinat, magistrumque facit, qui vix discipulus esse poterat: Claudum vero, qui lucra terrena quærentem, locat in dignitate, veluti pedem in diuersa ponentem: Cui potest inferri illud: Vtique quo claudicatis in duas partes: Languidum denique qui vitiosum pro religioso habet, quique tardum & pigrum probat patientem.

*Hierony. in Malach.*

Idoneos tantum in prælatos eligendos esse. Cap. VII.

**S**acris canonibus saluberrime constitutum est, vt omnes Cathedrales ecclesie, collegia & conuentus ad dignitates vacantes, ex sua congregatione idoneos eligant prælatos. Atque eos demū sacris administrationibus dignos esse existiment, quorum omnis ætas per disciplinas ecclesiasticas cursum risset. Iam vt primitiue ecclesie censura mitigationem recipiat discretionis, is saltē aliorum curæ præficiatur, cuius comparatione, grex cæteri merito dicatur. Quomodo enim fieri potest, vt non vilissimus reputetur, qui est honoræ præstator, nisi quoque scientia & sanctitate præcellat: Atque vitinā hic pensitet & nauis & nauigio deferēdis eandē imminere periclitandi necessitatem.

*Ex Cæci. gene. c. ne p. defectu de electione.*  
*Ex Concil. Basilien. Hierony.*  
*Symma. ad tur.*  
*Laurent. c. Villissimus. 1. q. 1.*

In eligēdo, ætas, mores, literatura & sacer ordo spectāda. Cap. VIII.

**Q**uapropter electores solliciti sint vt talem præficiant, qui officio credendo satisfacere possit, virum ætatis legitime, moribus grauem, literarū scientia præditum, atque in sacris ordinibus constitutum, scientes ipsi in rem tam graui, vel dolo, vel negligenter agentibus, non minorem quā malis illis pastoribus ac prælatis (quos ipsi præferunt) in districto dei iudicio imminere penam. Neque enim impune peccatur in spiritum sanctum, qui in omni electione vt auctor inuocatur. Neque inultum permittit deus, si quis iure iurando, quod sub electionem præstatur, frustra nomen domini vsurpauerit. Vt omittamus penas canonicas, quæ perperam eligentes manent.

*Ex Concil. Basilien.*  
*Deut. 5*

Electionem synceram esse oportere. Cap. IX.

**A**bsit ergo omnis symoniæ prauitas, omnis personarum respectus. Cessent potentiorum preces, quæ minis æquiparantur, omniisque impressio, cesset ambitio, ac dominandi libido. Adhæc, procul absint omnes illicitæ obli-